



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio vini in die sancti Ioannis Euangelistæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Deinde dicitur:* Benedictio Dei Pa \times tris, & Fi \times lii, & Spiritus \times sancti, descendat super hanc creaturam salis & aquæ, & maneat semper. *Resp.* Amen. *Denique ex aqua, in peculiari vase sale permixta, fiat aspersio salis & hominum circumstantium.*

Benedictio Vini in die sancti Ioannis
Euangelistæ.

Sacerdos, superpelliceo seu alba, & stola, indutus, stans in cornu Epistolæ, vino, extra dictum cornu, juxta se in mensa posito, & vasis, quibus continetur, apertis, dicat *Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Vers.* Initium sancti Euangelii secundum Ioannem. *Resp.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, &c. *ut supra.* *In fine,* *Resp.* Deo gratias. Pag. 188.

Psalmus 22.

Dominus regit me, &c. *ut supra.* *In fine,* *Pag. 266.*
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos

à malo. *Vers.* Salvos fac fideles tuos. *Resp.* Deus meus, sperantes in te. *Vers.* Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. *Resp.* Beatus vir qui sperat in eo. *Vers.* Et si mortiferum quid biberint. *Resp.* Non eis nocebit. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus & Pater Domini nostri Iesu Christi, cuius imperio cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, & omnis potestas subjecta est, & metuit & expavescit: nos te in auxilium nostrum invocamus, cuius audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, vipera filet, & subdola illa quæ dicitur rana, inquieta, torpescit, scorpio extinguitur, regulus vincitur, squalangus nihil noxium operatur, & omnia venenata & adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu, Domine, extingue omnes diabolicas fraudes & omnes humano generi adversantes nequitias, & hunc liquorem vini, per intercessionem sancti Ioannis Evangelistæ, tua virtute bene ✠ dicito; & omnes ex eo gustantes,

stantes, meritis & precibus sanctissimæ Dei genitricis Mariæ & omnium Sanctorum tuorum intervenientibus, ab omni malo custodias, & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Oremus.

DEus, qui mirabili potentia vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis; qui mirabili potentia in Cana Galilææ, ad potandum, nuptiali populo, aquam convertisti in vinum, quique mirabilissima potentia, per manus Sacerdotum, elementum vini quotidie in sacratissimum tuum transformas Sanguinem: Deus, cujus potestate Ioannes Evangelista venenosi potus digessit toxicum, bene ✠ dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo gustantes, expulso toto genere nocivo, infuso tuæ bene ✠ dictionis mysterio, in anima & corpore mereantur misericorditer exhilarari. Per Dominum nostrum &c.

Oremus.

BEati Ioannis Evangelistæ, quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue & remedia æterna concede.

cede. Per Dominum nostrum, &c. Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super hunc liquorem Vini, & maneat semper. *Resp.* Amen. *Deinde aspergit Vinum aquâ benedictâ.*

In die Assumptionis B. Mariæ Virginis
super herbas benedictio.

Primo dicat Sacerdos, Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad imaginem tuam, & condidisti cælum & terram, solem & lunam, stellas, & omnia cælestia & terrestria; qui dominaris potestati maris; qui habes potestatem Abyssi magnæ; qui condidisti omnia elementa: tu bene **+** dicere, & sancti **+** ficare digneris has creaturas herbarum, sicut benedixisti quinque panes in deserto & duos pisces, & satiaisti quinque millia hominum: omnesque, qui utentur ex eis, benedice **+** cere & sancti **+** ficare dignare, ut in eis fit sanitas animæ & corporis: in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: & ab omnibus